



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXXI. De Legatis piis à testatore in statu peccati mortalis existente
institutis &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

ne vidua amorem & memoriam sui conjugis conservat, qui secundis nuptiis aboletur; filii verò, & consanguinei, quorum interest prospicere injuriæ inferendæ defuncto, contristantur, tum quia illius memoria perit, tum quia amicitia ex affinitate contracta extinguitur, & transfertur in posterioris conjugis consanguineos. Hæ autem rationes in aliis personis non procedunt, ideoque aliæ personæ dictis verbis solam turpitudinem propriam censendæ sunt voluisse excludere ob rationes prioris sententiæ suprâ insinuat.

Si autem secundæ nuptiæ Statum viduæ dedecerent, ejusque conditionem, quia vel est ætatis satis provectæ, vel quia nubit longè inferiori, aut legantis inimico &c. censet probabilis Sanch. l. c. cum pluribus aliis prædictas nuptias exclusas esse per illa verba, si castè, & honestè vixerit, à quocumque ea conditio fuerit apposta; quia illæ nuptiæ, cum viduæ famam denigrent, in communi hominum æstimatione reputantur inhonestæ, & contra mentem testatoris.

CASUS XXXI.

De Legatis piis à testatore in statu peccati mortalis existente institutis &c.

Cùm nuper Murcius testamentum conderet, nihil in eo consanguineis suis reliquit ob graves inimicitias, quæ inter ipsos intercesserant, sed cùm prolem non habeat, Hospitale bonorum suorum hæredem instituit; Berthæ verò uxori suæ legat duo millia fl. quamdiu vitam vidualem servaverit. Nunc verò, cùm graviter decumbat, Ambrosio Presbytero sua peccata confitetur, aitque se Consanguineis suis ignoscere, sed nihil eis legasse, nec quidquam legare velle, quam ob rem Ambrosius dubitat, an Murcius satis dispositus sit ad absolutionem recipiendam. Paulò post moritur Murcius, & Bertha uxor ingreditur Religionem.

QUÆR. I.

QUÆR. I. Quid faciendum sit Ambrosio Confessario dubitanti, utrum Murcius dispositus sit ad absolutionem recipiendam, eò quòd adduci non possit, ut Consanguineis suis aliquid relinquat?

QUÆR. II. An dispositio ad causas pias facta ab existente in statu peccati mortalis, sit ei in statu gratia decedenti profutura?

QUÆR. III. An Legatum relictum Bertha uxori, quamdiu vitam vidualem servaverit, extinguatur, eà Religionem ingrediente?

180 **A**D I. Q. Notandum est, tres dari lineas Consanguineorum, quarum prima est descendendum, secunda ascendendum, & tertia collateralium, inter quos alii sunt hæredes necessarii, alii non necessarii. Hæres ex testamento necessarius dicitur, quem testator in portione legitima instituere cogit, nisi justam exhæredandi causam habeat, scilicet unam ex illis, quæ numerantur in *Authent. Ut cum de appellat. cognoscitur, cap. 3. & 4.* Hæres verò non necessarius appellatur, quem testator instituere non cogitur.

Hæredes porrò necessarii imprimis sunt descendentes, scilicet filius, nepos, pronepos &c. & his deficientibus ascendentes, videlicet pater, mater, avus, proavus &c. quos proin testator instituere tenetur, nisi urgens, & justa adsit causa exhæredationis. Quòd si nec descendentes adsint, nec ascendentes, collaterales, scilicet fratres, sorores, sororum filios &c. testator per se institue-

re non tenetur, sed de rigore juris instituere potest, quos voluerit, *Instit. de inoffic. testam. vers. soror autem, vel frater, C. eod. tit.* dummodo personam infamem non instituat; nam si hominem infamem institueret, posset frater, vel soror ex eodem patre agere de nullitate testamenti, seu *querela inoffic. testam.* nisi uterini tantum sint, vel & ipsi infames; aut de ingratitude erga defunctum notati, *l. fratres, C. de inoffic. testam.*

Nec obstat, quòd fratres, & sorores ex eodem patre, & legitimo thoro nati succedant ab intestato; nam id non fit, eò quòd sint hæredes necessarii, sed quia leges ita ordinantes fundantur in voluntate præsumpta ipsius defuncti, de qua, cum ex testamento non constet, præsumunt voluisse defuncti, ut sua bona ad extraneos non transeant, sed ad suos proximiores devolvantur, adeoque ad fratres, & sorores, aliòsque proximiores, si alii non adsint magis conjuncti, & propinqui. Unde

In presenti casu ab Ambrosio Confessario, antequam absolutionem impertiat, quærendum, examinandumque erit, an consanguinei illi, quibus in testamento ob inimicitias nihil relictum est, sint aliqui ex descendantibus, scilicet filii, filiorum filii &c. vel ex ascendentibus, ut pater mater, avus &c. quos portio debita privare non potest? anve solummodo collaterales sint? & si ex prioribus aliqui sint, absolvendus non erit, nisi testamentum mutet, & legitimum hæredem instituat, utpote quem tutâ conscientiam defraudare nequit, & privare ea parte, quæ jure hæreditario ipsi competit, & debetur. Si verò consanguinei duntaxat sint collaterales, nec extremè indigentes, non est, cur ei absolutio sit deneganda, hoc ipso, quod Murcius testator tales consanguineos hæredes instituere non teneatur, sed uti possit jure suo, & quem maluerit, instituere, nisi fortè scandalum sit inde oriturum.

Dixi extremè indigentes; nam licet testator juxta leges civiles Consanguineis suis, fratribus, ac sororibus non cogatur aliquid relinquere, attamen jus naturæ postulare videtur, ut illis, si indigentes sint, pars aliqua bonorum relinquatur, ut ex S. Augustino advertit Molanus *c. 20. & 22.* apud Laym. *l. 3. tr. 5. c. 5.* Imò frater in defectum ascendentium, si di-

ves sit, sorori inopi dotem dare cogitur, saltem quæ sit instar alimentorum necessariorum, ut docent Panormit. in *c. pervenit de arbitris, n. 1.* Syl. Angel. Sà; Laym. & alii cum Gloss. in *l. 1. §. sed non nullos, V. præstitit, ff. de tutel. & ration. distrabend. & l. plures, §. cum tutor &c.*

Pro resolutione Q. 2. notandum pariter est cum Dicastill. *D. 2. dub. 20.* opera nostra alia esse, & dici viva, alia mortua, & alia mortificata. Opera meritoria viva sunt opera supernaturalia, quæ ab homine fiunt in Statu gratiæ, quæque non solum valent ad beatitudinem promerendam, verum etiam ad poenam peccatis præteritis debitam delendam, vel mitigandam. Opera verò mortua sunt, quæ fiunt ab homine existente in Statu peccati mortalis, qui, cum careat vita gratiæ, & charitatis, quidquid in eo Statu operatur, nequit Deo esse gratum, & acceptum, sed mortuum dicitur. Opera autem mortificata appellantur illa bona opera, quæ quidem facta sunt in Statu gratiæ, sed per peccatum mortale subsequens, in quod homo incidit, ab affectu præmii sunt impedita, & vim quotamodo amittunt expedite perducendi hominem ad vitam æternam, cujus peccator incapax est. His notatis, ac suppositis.

Ad

182 Ad Q. 2. Dicendum est cum unanimes DD. Sensu pia legata relicta in testamento condito ab homine in Statu peccati mortalis existente, nihil testatori prodesse, sive ad beatitudinem promerendam, sive ad satisfaciendum pro pœna in purgatorio luenda, quamvis in Statu gratiæ decedat. Ratio prioris partis est, quia talia opera sunt opera mortua, manentque mortua; nam sicut caruerunt principio vitali, scilicet gratiâ, ita absque vita perseverant, nequeuntque reviviscere, hoc ipso, quod id, quod nunquã vixit, nunquam queat reviviscere. Præterea cum homo in peccato mortali existens sit inimicus, odiosus, & invidus Deo, opera ab eo in tali statu exercita nunquam possunt esse grata, & accepta Deo, & idcirco nec meritoria, nec satisfactoria. Et quamvis per pœnitentiam removeatur impedimentum, seu peccatum, quod est obstaculum omnis meriti, & satisfactionis; per hoc tamen operibus prioribus mortuis nihil vitale accedit, sed manent in eo Statu, & vigore, quem prius habuerunt ante peccatum; cum ergo opera illa mortua nullam prius habuerint efficaciam, & vigorem respectu præmii, & Satisfactionis nullum quoque acquirunt per solam remotionem impedimenti.

Ratio posterioris partis patet ex hoc ipso, & ex eo, quod satisfactio sit ablatio offensæ, & restitutio amicitiae, seu reconciliatio

R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

cum Deo; hæc autem amicitiae cum Deo reconciliatio haberi nequit sine gratia, & charitate; atque adeo cum actus voluntatis, quo legata illa in testamento sunt relicta, jam præterierit, nec amplius idem numero reassumi possit, legata illa præterita in Statu peccati instituta nihil præmii, vel satisfactionis apud Deum obtinent, nisi novus superveniat voluntatis actus gratiæ, & charitate informatus, quo de novo instituantur, & dignificentur, ut notat S. Aug. 12. de Civit. Dei c. ult. in illud Joann. 3. facite fructus dignos pœnitentiæ, asserens, eum, qui animæ suæ non miseretur placens Deo, nihil pro suis peccatis posse dignum illi offerre. Quare cum principium merendi, & satisfaciendi sit gratia, quæ est vitæ initium, sequitur opera illa de se bona relicta ab existente in peccato mortali principio vitæ caruisse, & mortua ab intrinseco fuisse, & ideo nisi novo charitatis actu vivificentur, nihil prodesse ad satisfactionem, ut cum communi doctet S. Thom. 3. p. q. 86, a. 6.

Ex modò dictis patet, quàm satagendum sit testatoribus, ut sua testamenta, & in eis relicta pia legata in Statu gratiæ condere studeant, & siquæ in statu malo instituerunt, eadem in statu gratiæ constituti per novum consensum renoveant, ac ratificent, ne, quæ aliàs Sanctè instituere intenderunt,

Bb

suo

suo valore frustrentur, & fructu careant.

Porrò magis expedit divitibus bona, quibus abundant, tempore vitæ suæ in pias causas erogare, quàm ea in testamento relinquere post mortem distribuenda, ut ex Salviano notat Laym. l. c. tum quia opera pia à vivente præstita majoris sunt apud Deum meriti, & satisfactionis, quàm si differantur in tempus mortis, quo tempore homo dat ideo, quia diutiùs retinere non potest, sed ea deserere compellitur. Tum quia hæredes, & testamentarii pia legata sæpe non integrè, ac fideliter, aut non suo tempore exequantur.

Ad 3. Q. An legatum uxori Berthæ relictum, quamdiu vidualem vitam servaverit, ipsi debeatur, si Religionem ingrediatur? Respondendum est affirmativè cum Sanch. l. 7. D. 91. n. 46. Diana D. 3. q. 17. p. 8. §. 4. Bald. l. Deo nobis, C. de Episc. & Cler. Jas. aliisque apud Sanch. Id, quod colligitur ex *Auth. cui relictam*, C. de indic. vivit. & ratio ulterior est; quia per id spirituale cum Christo matrimonium minimè cessat vita vidualis, sed adhuc verè, ac propriè dicitur illa vitam vidualem servare, quin & plenius voluntatem testatoris adimplere, quæ Religionem ingreditur.

CASUS XXXII.

De Legatis & solutionibus, cum pretium rei crescit, vel decrescit.

CRispinus volens Barbaræ famulæ suæ ob multa extraordinaria obsequia sibi præstita legare 50. aureos id famulæ significat, quæ responder, se fore contentam, si 40. legentur, tacitè secum ipsa cogitans hoc modo velle se 10. aliis aureis sibi nunc oblati satisfacere obligationi furti 10. aureorum à se successivè hero suo ablatorum. Itaque Crispinus 40. aureos Barbaræ legat; paulò post in gravem incidens morbum paucos intra dies extinguitur. Post mortem Testatoris Barbara Legatum petit ab hærede, qui eidem 40. aureos enumerat, sed quo-